



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Proteus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

REGIA CLARITAS. CAP. XVII.

A N antiquissimis Ægyptiorum monumentis cernere est mulierem quandam tribus Regiis caput insignitam. Significare ajunt id, eam regis filiam, regis uxorem, ac regis matrem fuisse. Ea vero Simandii clarissimi Regis mater fuit, de qua scriptores rerum plurima: quorum si nos diligentiam sequeremur, tale aliquid in Blancam Philippi Magni Mediolanensem Ducis filiam diceremus, quæ Francisco Ducinupfit, quæ Galeatium Ducem genuit, de qua cultissimum extat Epitaphium à doctissimo ejus temporis viro Bartholomæo Lampridio, Lyrici nostri clarissimi patruo editum. Id est hujusmodi:

*Tres Italos proceres terris ego Blanca Latinis
Esse duces vidi, filia, nupta, parens.*



*Spiriam
tamen.*

B In aliis Ægyptiorum Regiis varias gestaminum formas inspicias, quæ Regum capitibus imponerentur. Leonis quippe, aut Tauri, aut Lupi, aut alterius cujusque feræ priores partes, Draconum etiam capita, insignia principatus, pro virtutis aut operum conditione, quo quisque in argumento clarum aliquid facinus edidisset, quoque rerum studio teneretur, quorum quidem significata de simplicibus eorum Commentariis, quæ conscripsimus, requirenda sunt. Neque vero sum nescius, coria Serpentum plerisque populis tegumentorum bellicorum usum præstitisse, quibus plurimum Amazones in Lybia uti solitæ, unde quod nonnulli tradunt, Medusæ figmentum emanarit.

PALLAS. CAP. XVIII.

Sane Phidias Draconem Palladi apposuisse perhibetur, quod cum optime caleret Maro, Dracones illos geminos à Tenedo in terram elapsos, post facinus in Laocoonta & ejus liberos perpetratum, ad summa Palladi delubra confugisse dicit, sub pedibusque dæx, clypeique sub orbe locum tutelæ sibi delegisse. Quod ut manifestius intelligatur, operæ pretium est, quæ Pausanias de simulacro Palladis tradidit, explicare. Ait enim simulacrum Minervæ Athenis fuisse talari veste, Medusæ capite eburno pectus obtegente, cum victoriâ, cubitorum quatuor, & hasta in manu, ad pedes vero clypeus appositus erat, juxta hastam Draco obvolutus cernebatur, quem Erichthonium suspicabatur esse. In basi, quæ statuam sustentabat, Pandoræ historia sculpta erat, quæ mulierum omnium prima fuisse traditur ab Hesiodo, & in ultionem surrepti ignis, in humani generis perditionem, emissa.

PROTEUS. CAP. XIX.

Inter insignia reliqua spectare est nonnumquam arborem, nonnumquam ignem flammulis promiscantem, quandoque flores, quandoque plumas in varias cristarum species dispositas, quæ modo ad decorem, modo ad stuporem comparabantur. Quibus cum Proteus Ægypti Rex nominatissimus varie uteretur, datus est fabulæ locus, ut in tot se vultus commutaret. Quamvis non sum nescius Protei figmentum in longe seciorem intellectum ab antiquis interpretibus acceptum.

VERITAS. CAP. XX.

Quippe qui per ejusmodi fabulam, si quis hieroglyphici locutionem abhorreat, difficultatem eam ostendi dicant, quam in assequenda veritate rerum experimur: tot sunt quæ nos eludunt species, sophistarum decipulæ, atque subterfugia Dialecticorum posita, quæ veritatis speciem præse ferant, Orationum inductiones atque foritæ multis argumentorum acervis in immensum congestæ, ut multum diuque laborandum sit, anteaquam Proteus ipse humana, hoc est, vera se facie spectandum exhibeat.

INSIGNIUM CAUSÆ. CAP. XXI.

Ajunt vero nonnulli, insignia hæc ideo prius olim excogitata, ut Principis & ductoris sui ordinem milites in bello servarent: quibus vero res prospere successerat, animal consecrasse, cujus auspiciis